



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quaestio 8. Fidei non posse subesse falsum, sit ne omnibus necessario
credendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

verbo, opinio. q. 1. & alij ab his citati. in quo articulo multa sunt capita distinguenda, sicut luculenter & copiose prae citato loco distinguit Turrecremata, quae quia breuiter referri non possunt, & maiori ex parte in supradictis regulis videntur contineri, consulto omittimus, alibi fortassis opportunis locis commodius relatu.

Tradidi haec tenus generales regulas, quibus intelligatur, quando ignorantia excuset, quando contra non prosit in causis fidei: eas vero singulis casibus applicare prudentis iudicis est: nam singulatim omnia praescribi non possunt. Neque in his locutus sum in foro interiori: an videlicet qui praedictis modis in fide errant, peccent mortaliter, vel venialiter vel aliquas censuras incurrant: isthaec enim contemplatio Theologorum est, & aliorum nunc cetera persequamur.

b Et propter hoc multa nunc reputantur haeretica, quae prius non reputabantur. Nota hic Emericum cum beato Thoma non dicere multa sunt nunc haeretica, quae prius non erant: quod tamen verissime dicere potuisset: nam haec propositiones, Christus non resurrexit, non ascendit in caelum, non est natus de uirgine, & alij id genus multae, his temporibus sunt haereticae, tamquam e diametro repugnantes ipsi articulis fidei Christianae, quae tamen ante incarnationem Filij Dei erant verissima. Dixit autem beatus Thomas, & Emericus multa hodie haeretica reputari, quae prius non reputabantur, non quia Ecclesia faciat propositionem aliquam de vera fide, & de catholica haeretica, & e converso: sed quia cum nondum de aliquibus dogmatibus conflatum ac definitum esset, quid esset secundum catholicam fidem tenendum, Ecclesia declarat, haec quidem tamquam catholica dogmata ab omnibus orthodoxis recipienda, illa vero ut haeretica respuenda. ita erudite docent Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 4. par. 2. c. 3. ad 6. argumentum, Alfonso Casirus lib. 1. cap. 3. aduersus haereses, & Albertinus de agnos. assertio. q. 1. nu. 11. & seq.

Controversiam vero illam: An propositiones haereticae a quocumque prolatae, dicende sunt haereticae, an tunc solum cum a viro Christianam religionem professore proferuntur, ut minus vtilem missam facimus, eam tractant Adrianus 4. sent. quaest. 1. de confessione, Alfonso Casirus lib. 1. c. 1. de iusta haeretico. & Turrecremata lib. 4. de Ecclesia, par. 2. c. 3. ubi non pendere ab assertore autumat. Contra scribit Melchior Canus lib. 12. c. 3. de locis Theolo. Sed horum sententiae ita nobis videntur conciliandae: Bisariam enim hoc nomen haeresis accipi potest. Primo simpliciter pro ipsa propositione veritati catholicae contraria; & hoc modo intelligi potest opinio assertentium, ad constituendum haeresim non esse necessariam assertorem esse Christianum. Altero modo sumi potest nomen haeresis pro impio haeresis crimine quod perpetrantes & sunt & nominantur haeretici. & hoc modo procedere potest contraria doctorum opinio assertentium, ad constituendam haeresim & hominem haeticum, necessarium esse assertorem fore Christianum, de quo late Conarruuias lib. 3. nauar. resolut. c. 1. nu. 2. adde Caetanum 2. 2. q. 11. art. 1.

A QVAESTIO VIII. Fidei non posse subesse falsum, sit ne omnibus necessario credendum.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio formalis obiecti fidei est prima veritas.
2 Fides nullam continet falsitatem.
3 Et hoc omnes explicite credere oportet.

QVAESTIO. Quae est, utrum credere explicite; quod fidei non potest falsum subesse, quilibet teneatur? Ad hanc respondemus iuxta mentem sancti Doctoris Thomae. 2. 2. q. 1. art. 3. q. nihil subest alicui potestiae vel habitui aut etiam actui, nisi mediante ratione formali obiecti: sicut color videri non potest nisi per lumen & conclusio sciti non potest nisi per medium demonstrationis.

1 Dicitur est autem, quod ratio formalis obiecti fidei est veritas prima: unde nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate.

2 Unde relinquitur, quod fidei non potest subesse aliquod falsum.

Quod autem prima veritas non habeat admixtam aliquam falsitatem: hoc explicite est credendum, cum sit pura & summa veritas, quae est Deus. Nullus enim intellectus concipit, quod Deus dicat mendacium, neque falsum: Non est enim Deus ut homo, ac Filius hominis ut mentiat.

3 Ergo consequenter credendum est explicite, quod fidei non potest falsum subesse.

Al. lucem

Numer. ca. 2. ita: Non est Deus quasi homo, ut metiat nec ut Filius hominis, ut metur.

COMMENT. XXIII.

UNA est assertio, Fidei nullum potest falsum subesse, quoniam prima nititur. Haec assertio aperte intelligitur ex his, quae scribit Beatus Thomas, & ibi Caietanus 2. 2. q. 1. art. 1. ex quibus hanc colligo explanationem, Fides nostra pro obiecto formali Deum habet, quatenus Deus prima veritas est; per primam autem veritatem cum Dionysio in lib. de diuinis nominibus c. 7. intelligo simpliciter & semper existentem veritatem infallibilem, & nusquam mutabilem, aut uel in minimis incertam. Si quis enim querat a nobis, quare credimus Deo; apte respondebimus, quia est ipsa certissima & constantissima veritas: & articulos fidei, & cetera quae ad Deum spectant, ideo credimus quia a prima & infallibili veritate, nepe Deo, reuelata sunt, & propterea ipsa prima veritas, hoc est Deus, dicitur fundamentum fidei.

Hanc tamen Catholicam veritatem nonnulli multis rationibus euertere nituntur, asserentes aliter quando Deum, licet non per se, humano tamen Angelicorum ministerio homines sefellisse, quas longa serie numerat Melchior Canus lib. 2. cap. 2. de locis theologicis, & in sequentibus eiusdem abunde satisfecit: eas nos libenter omittimus, quia non sunt instituta nostra. Haec summa est, Deum neque de potestati

Quid nominis primae veritatis intelligitur.

Dens nec fallit, nec fallitur unquam.

E absolu-

Ecclesia non facit propositiones haeticas aut catholicas, sed solum declarat quales sunt.

An veritas et falsitas propositionum dependet ab assertore.

absoluta, neque de potentia ordinaria mentiri posse, aut quemquam fallere, nec per se, nec per alium, adeoque hoc verum esse, ut contrarium sit hereticum iudicandum. De potentia absoluta Dei loqui mihi videtur Augustinus lib. 1. de symbolo, cap. 1. dum ait: Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. & lib. 22. de Civitate Dei. c. 15. dum ait: Sed de omnipotentia eius, quæ tot & tanta facit mirabilia, iam multa diximus. Si volunt invenire quod omnipotens non potest, habet, prorsus, ergo dicam, mentiri non potest. hæc ille. Quod manifestius mihi expressisse videtur ipse Dominus quando Lucæ 21. ait: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. quasi diceret: Vel concidat omne cælum, omnisque natura divina, tamen veritas consistat necesse est. De potentia vero ordinaria res est apertior. ad Romanos 3. Paulus scribit ita: Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. & Num. c. 23. scriptum est: Non est Deus quasi homo, ut mentiatur. Quod autem nec per alium, aut hominem, aut Angelum fallere quemquam possit Deus, aperte indicat natura mendacij, quod sua natura malum est & peccatum, Deus autem peccati causa non est. & si per ministros suos Deus unquam fessisset, certe sacrarum litterarum firmitas corrueret, & fidei fundamenta laberentur, dum dubitaretur an in his, vel in illis Deus per ad ministros suos vera esset locutus. ergo ut has impietates & blasphemias faciamus, asseramus omni no nulla ratione Deum unquam fessisse, aut fallere posse: & inde colligamus ulterius cum Eymerio hac quaestione: Fidei, que primam veritatem, hoc est Deum, magistram habet, nullo modo falsum subesse posse.

Deus nunquam mentitur.

b Nullus enim intellectus concipit, quod Deus dicat mendacium neque falsum.] Atque hoc est certissimum fidei dogma; nam si Deus prima & simplex veritas est, nullum mendacij genus ad mixtum habere potest: veritas enim & mendacium e diametro opponuntur, nec possunt in eodem reperi subjecto, ut communis habet philosophorum assertio. atque hinc colliges, quam stulte delirarent Armeni heretici, qui mendacem Deum faciebant, ut refert Præteolus lib. 1. de sectis hereticorum. c. 67. Mendacium enim, quod in viro probo admittere indignum est, in Deo summo bono ponere non verentur. Sed eorum dogmata synodus Calcedonensis cum Eutyche & Dioscoro, (quos Armeni veluti duces sequebantur) damnavit.

QVAESTIO IX.

De confessione exteriori fidei.

S V M M A R I V M.

- 1 Præcepta affirmatiua pro loco & tempore obligant.
- 2 Confessio fidei non semper, nec quouis loco est facienda.
- 3 Quibus in casibus necessaria sit fidei confessio.
- 4 Et quando sine ulla culpa omitti possit.



ON A quaestio est. Vtrum fidei confessio sit necessaria ad salutem sic, quod ad fidem profitendam quilibet teneatur?

Ad hanc respondemus iuxta mentem S. Thomæ. 2. 2. q. 3. art. 2. quod ea, quæ sunt necessaria ad salutem: cadunt sub præceptis diuine legis: confessio autem fidei, cum sit quoddam affirmatiuum, non potest cadere nisi sub præcepto affirmatiuo: vnde eodem modo est de necessarijs ad salutem, quo modo potest cadere sub præcepto affirmatiuo diuina legis.

1 Præcepta autem affirmatiua, ut supra dictum est, non obligant ad semper, etsi tempore obligent, obligant autem pro loco, & tempore secundum alias circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc quod sit actus virtutis.

2 Sic igitur confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore: quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda: puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide: in huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis, iuxta illud Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

3 In huiusmodi enim casibus necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam alijs propalare vel ad instructionem aliorum fidelium, siue ad confirmationem vel ad reprimendum infidelium insultationem: sed alijs temporibus instruere homines de fide, non pertinet ad omnes fideles.

4 Si autem turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta absque aliqua vtilitate fidei vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri: vnde Dominus dicit Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos, ne conuersi dirumpat vos. Sed si vtilitas aliqua fidei speretur, aut necessitas adsit, contempta turbatione infidelium, debet homo fidem publice confiteri: vnde Matth. 15. dicitur, quod cum discipuli dixissent Domino, quod pharisæi audito eius verbo scandalizati sunt, Dominus respondit: Sinite illos, scilicet turbati: cæci sunt, & duces cæcorum.

COMMENT. XXIII.

a HÆC quaestio elegantem, vtilem, & cognitum necessariam habet materiam, & in primis ad officium sanctæ Inquisitionis pertinet. Nos vero quia forte à paucis est nostris est disputata in tractatibus, quos de penis hereticorum conscripserunt, ideo summa rerum capita ad rem nostram spectantia aperte & dilucide attingemus. Tota autem tractatio duabus potissimum partibus absoluetur.

Prima